

dum in dubiost animu', paullo momento huc vel illuc impellitur.

PA. quis h̄ic loquitur? *Mysis,* salve. *MY.* o salve, Pamphilē. *PA.* quid agit? *MY.* rogas? laborat e dolore atque ex hoc misera sollicitast, diem quia olim in hunc sunt constitutae nuptiae. tum autem hoc timet,

35 ne deseras se. *PA.* hem egone istuc conari queam?

270

egōn propter me illam decipi miseram sinam,
quae mihi suom animum atque omnem vitam credidit,
quam ego animo egregie caram pro uxore habuerim?
bene et pudice ei(u)s doctum atque eductum sinam

40 coactum egestate ingenium inmutarier?

275

non faciam. *MY.* haud verear si in te solo sit situm;
sed v̄m ūt queas ferre. *PA.* adeon me ignavom putas,
adeon porro ingratum aut inhumanum aut ferum,
ut neque me consuetudo neque amor neque pudor

45 commoveat neque commoneat ut servem fidem?

280

MY. unum hoc scio, hanc meritam esse ut memor esses sui.

PA. memor essem? o Mysis Mysis, etiam nunc mihi
scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis
de Glycerio. iam ferme moriens me vocat:

50 accessi; vos semotae: nos soli: incipit

285

"mi Pamphile, hui' formam atque aetatem vides,
nec clam te est quām illi nunc utraeque inutiles
et ad pudicitiam et ad rem tutandam sient.
quod ego per hanc te dexteram [oro] et genium tuom,